

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

De influxu dogmatis reformatorum de sacra coena in praxin fidei et pietatis, quanto et quali?

**Pfaff, Christoph Matthaeus
Hochstetter, Gottfried Ulrich**

Tubingae, 1720

Antecessio

[urn:nbn:de:bsz:31-130755](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-130755)

ANTECESSIO.

Ui duas illas dissertationes irenicas *de influxu dogmatis de absoluto prædestinationis & reprobationis decreto in praxin fidei & pietatis & de eo quod justum et æquum est circa imputationem consequentiarum theologicarum* in lucem vix edidimus, jam, ut & *de influxu dogmatis Reformatorum de S. Cœna in praxin fidei et pietatis* sententiam nostram promamus, calamum hunc nostrum intingimus. Etsi enim id, quod præcipuum est, sic jam peroraverimus, cùm nemo neget, dogma illud de absoluto homines prædestinandi vel reprobandi decreto ante omnia alia maximâ difficultate laborare Protestantessque à se invicem divellere, res tamen ipsa poscere videtur, ut & ad ea, quæ tantum momentum secum haud vehere existimantur, pedem promoveamus, ubi utique S. Cœna natumque circa eandem opinionum divortium nobis mox occurrit. Quæritur quippe, num error iste, quo præsentia realis & manducatio oralis cor-

A

po-

poris Christi in S. Coenâ negatur, quo & affirmatur, impœniten-tes corpus Christi in S. Coenâ haud accipere, sit fundamentalis & perniciosus? Et verò deploranda prorsus res est, quòd de sacramento amoris, quo amorem suum optimus Salvator vel maxime testatum nobis fecit, quo & amor divinus in corda nostra effunditur, quo denique amorem mutuum inter nos invicem accendimus, quòd inquam de sacramento amoris lis inter Christianos agitetur eaque tam acerba, ut, ubi de ideis hîc rectè ordinandis & inflectendis agunt, qui de corde rectè inflectendo & divino ardore armando ante omnia solliciti esse debebant, in odia mutua ferantur monitisque irenicis animi potius irritentur quàm emendentur. At verò, ut existimo, propter eos, qui filii pacis esse nolunt, calamus haud ponendus nec de tabulâ manus tollenda est, idque prorsus conandum, ut, qui sapiunt vel sapere cupiunt, sermone & solidâ & mansuetâ ædificentur. Agedum, in rem præsentem jam veniamus atque præcipua rerum momenta in nervum constringamus lucemque rebus, quæ tot terminis, quæ tenebris & nocti involutæ sunt, ampliorem adfundamus.

The-